

O. d. gymnastica graecorum, ex Pindaro illustrata / [M.M. Stagnelius].

Contributors

Stagnelius, M. M.
Pindar.

Publication/Creation

Upsala : J. Edman, [1782]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/k8u7arxm>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

D. D.
**GYMNASTICA
GRÆCORUM,
EX PINDARO ILLUSTRATA,**
Dissertatione Academica,

Cujus
Partis Posterioris
Continuationem Secundam,
Consensu Ampl. Fac. Phil. Upsal.
M. MAGN. STAGNELIUS,
Philos. Adjunctus Extra-Ordin.

Et
Stipendiarius Regius,
NICOLAUS NORDLÖF,
Helsingus.

Publice ventilandam sistunt
IN AUDIT. GUST. MAJ. D. VII. JUNII MDCCLXXXII.
Horis A. M. Solitis.

UPSALIÆ,
APUD JOH. EDMAN, DIRECT. ET REG. ACAD. TYPOGR.

303950



§. XIX.

Quæ hæcenus levi prosequuti sumus opera, exercitationum genera, ad ludos graves seu βαρέας pertinere supra jam significavimus. Ad illos igitur, quos κέφες vocarunt Græci, nosmet accingere jubemur: quos inter primus merito adsignatur locus illi, quem Δρόμον Græci, *Cursum* Latini adpellarunt. Quum omnibus illis artibus corporisque motibus, ex quibus ad res bellicas aliquid utilitatis redundaret, pretium statuerent prisca ævi homines maximum; nemini mirum videatur, si exercitationi huic, quippe quæ & in hoste improvise adgrediendo persequendoque, & in evitando occupatis haut minimum præstat usum, maximus habitus est, & honos, & gloria. Nec aliud nos docet HOMERUS a).

ὁ μὲν γὰρ, *inquit*, μείζον κλέος ἄνδρος ὄφρα κεν ᾗσιν,
ἢ ὅτι ποσσὶν τε ῥέξει καὶ χερσὶν ἔῃσιν:

Unde etiam petendam esse credimus causam, cur πόδας ὤκυς, ποδώκης, ποδάρεκς, ὠκύπες, apud eundem Poëtam dicatur Achilles. Neque dubiæ sunt, quas eidem certandi generi tribuit PINDARUS, laudes, quod argumento sunt apud Poëtam passim occurrentes ῥῆσεις: τιμὰ ποδῶν, ποδῶν ἀρετὴ, πόδες ἐώνυμοι, quibus hoc celebratum ivit certamen suosque Heroas; ut taceamus, partem odarum maximam in illorum confectam esse præconia, quos in hisce velitationibus accepta nobilitaverit palma. Antiquitatem certaminis si spectaveris, certo constat, abstrusis vetustate temporibus fuisse usitatissimum. Hinc in primis recensendis Olympionicis, in Olympico, ab Hercule instituto, conventu, victoriam consecutis, occupatus PINDARUS, OEonum quemdam, pedum celeritate ceteros antevernisse narrat b):

H

Στά-

a) *Odyss.* IX. v. 147.b) *Ol. od.* X. 59. d.



Στάδιον, *inquit*, μὲν ἀρίστειεν εὐθύδρομον,
Ποσσὶ τρέχων, παῖς ὁ Δικυμνίς
Ὀϊωνός

Victoriam OEoni heic designaturus PINDARUS, stadium εὐθύδρομον, seu εὐθύτονον, ut legisse videtur illius SCHOLIASTA, illum vicisse ait. Quibus respicere nos jubet spatium, seu curriculum certaturis emetiendum. Diversæ fuisse mensuræ ac longitudinis pro locorum diversitate, auctorum inter se dissensus est argumento. Olympicum sexcentos pedes longum fuisse, auctor nobis est AULUS GELLIUS c), PLUTARCHUM testem citans, tantumque spatio cetera superasse stadia, quantum ceteris hominibus statura antecelluerit Hercules. At, si CENSORINO, a Dom. BURETTO laudato, credere fas est; Pythicum in longitudinem mille pedum porrectum fuit d). Olympiæ stadium aggerem fuisse aggestum, dicit PAUSANIAS e), Ludorumque Præfectos, seu ἀθλοθέτας, vel ἀγωνοθέτας, vel denique ἑλλανοδίκας ibi exstructam habuisse sedem: τὸ μὲν δὴ στάδιον, *inquit*, γῆς χῶμά ἐστι, πεποιήται δὲ ἐν αὐτῷ καθέδρα τοῖς τιθεῖσι τὸν ἀγῶνα. Qui recto cursu spatium hoc semel conficerent σταδιοδρόμοι adpellabantur, & in eo operam collocabant, ut, carceribus simul relictis, contenderent, quis optatam primus adtingeret metam victoriæque præmium adipisceretur.

Stadio, quod heic εὐθύδρομον vocat PINDARUS, & εὐθύ, τὸ μὴ ἔχον καμπήν explicat ejus SCHOLIASTES, aliud oponit currendi genus, in Ludis publicis non inusitatum, quod διάυλξ nomine a Poëta sæpius insignitur. Sic Thesalum laudat, quod uno die, non stadii tantum, sed Diauli etiam cursu, in Pythiis victoriam adeptus fuerit f):
Πυ-

c) *Noc. Att. l. l. c. 1.*

d) *Hist. de l' Acad. des Inscr.*

Gr. c. Tom. III. p. 290.

e) *El. p. p. 382.*

f) *Ol. od.*

XIII. ἀντ. β.



Πυθῶι τ', *inquit*, ἔχει σταδίας τιμᾶν, διαύλας.

Θ', ἀλίῳ ἀμφ' ἐνὶ.

& Hippocleam in coetu Amphictyonum, horum Ludorum Judicum, inter juvenes, Diauli cursores, praestantissimum fuisse promulgatum commemorat g):

Στρατῶ, *inquit*, Ἀμφικτυόνων ὁ παρ-

νάσσιος αὐτὸν μυχὸς,

Διαυλοδρομαῖν ὑπατον παίδων ἀνέειπεν.

Quemadmodum vox simplex αὐλὸς, quidquid in longitudinem & rectitudinem porrectum denotat, ita compositum διαύλος locum significat stadiorum duorum in longitudinem extensum. Ita vocabulum hoc intellexisse videtur, SVIDAS b). quum Diaulum vocat διαδίδιον τόπον, ἢ μέτρον πήχεων σ'. In Gymnastica vero ad id genus cursorum designandum adhibebatur, qui stadium rectum bis currendo emetiebantur, inde διαυλοδρόμοι adpellati. Quum comparisonem generis scribendi, quod βεστροφηδὸν Græci vocarunt, cum Diauli cursu instituat PAUSANIAS i); ex illo intelligi posse contendit BURETTUS k), stadium rectum in duas sectum fuisse partes, spatio in fine relicto vacuo, ut cursum commodius flecterent athletæ, adeo ut, absoluta altera stadii parte, per alteram, unde egressi essent, redirent, cursum in fine continenter sinuantes. Quocumque modo hæc accepta existimataque erunt, fuit certe διαύλος cursus certamen, quo a carceribus ad metam, & a meta ad carceres stadium bis decurrerent concertantes, & sic itu & reditu absolveretur. Ita etiam Diaulum interpretatur SCHOLIASTA ARISTOPHANIS l): ὁ διαύλος, *inquit*, ὁ διττὸν ἔχων τὸν δρόμον ἐν τῇ πορείᾳ, τὸ πληρῶσαι τὸ σταδίων, καὶ ὑποσρέψαι. Neque alium de hoc pedum certamine nobis instillat

H 2

sen-

g) *Pyth. od. X. ἀντ. α.* b) *In voc. διαύλος.* i) *El. pr. p. 320.* k) *l. c. Tom. III. p. 310.* l) *Ad. av. v. 292.*



fenſum AESCHYLUS *m*) quum de Græcis dicit, ad Tro-
jam commorantibus, alteram illis Diauli partem eſſe per-
currendam, ſi ſalvi & ſolpites reverti vellent:

δεὶ γὰρ, *inquit*, πρὸς οἴκας νοσίμῃς σωτηρίας,
κάμψαι διάυλῃς θάτερον κῶλον πάλιν.

Duplex hoc ſtadium alio etiam loco *n*) ſpectaſſe videtur
PINDARUS, quum dicit, ſe ad genua Æaci procum-
bentem, ob reportatam victoriam, adferre Dinidi ejus-
que Patri, lydia harmonia contextum, hymnum διςσῶν
ῥαδίων ἄγαλμα: ubi διςσῶν ῥαδίων mentio injici putat SCHO-
LIASTES non aliam ob cauſam, quam quod Diauli cur-
ſor fuerit Denis: διςσῶν δὲ, *inquit*, ῥαδίων, ὅτι διαυλοδρό-
μος. Neque vero multum adverſabimur, ſi ita verba
hæcce quis intelligat, ut dicat, geminam Poëtam innuere
victoriam ſtadii recti, quarum alter alteram diverſis tem-
poribus obtinuerit. Etiamſi vetuſtiorem præ ſe ferat
ætatem hoc exercitandi genus; Ludis tamen publicis pri-
us non additum eſt, quam Olympiade XIV, auctore PAU-
SANIA *o*): Οὐλυμπιάδι δὲ ὕπερον, *inquit*, τετάρτῃ καὶ δεκάτῃ
προσέτεθῃ σφίσι δίαυλος.

Præter duo hæc curſu pedum certandi genera, ter-
tium denique in antiqua Græcia inſigne fuit nomine δο-
λιχῆ, idque profitentes δολιχοδρόμοι ſunt nuncupati. Quum-
que curriculorum omnium, quæ pedibus emetiri debe-
bant δολιχοδρόμοι, hoc longiſſimi fuerit ſpatii, factum
eſt, ut de quacumque re longioris durationis uſurpari
ſveverit. Hinc Epicrates apud A'THENÆUM *p*) de ſcor-
to Laide dicit, facilem ad illam aditum nemini patuiſſe,
quamdiu de juventute divitiisque gloriari potuiſſet; quum
vero jam Dolichum curreret, i. e. annis eſſet onuſta
emar-

m) *Agam.* v. 351. *n*) *Nem. od. VIII.* ἐπωδ. α. *o*) *El.*
pr. p. 301. *p*) *Deipnos. l. III. c. 3.*



emarcuissetque genarum flos, aditu esse quam facillimam ac despuendam:

Ἀυτὴ γὰρ, *inquit*, ὀππότε ἦν νεοττὸς καὶ νέα,
Υπὸ τῶν σατήρων ἦν ἀπηγριωμένη.
Ἔιδες ἂν αὐτῆς φαρνάβαζον θᾶττον ἂν.
Ἐπεὶ δὲ δολιχὸν τοῖς ἔτεσιν ἤδη τρέχει,
Τὰς ἀρμονίας διαχαλᾷ τῷ σώματι,
Ἰδεῖν μὲν αὐτὴν ῥᾶον ἐστὶ καὶ πτύσαι.

EUSIBIO, quem citat BURETTUS *q*), si fidem habeamus, locus agoni huic concessus est in Olympiis Olympiade XV. Si ab ipso Olympiade odes XII. titulo, quæ Ἐργωτέλει Ἰμεραίῳ Δολιχοδρομῷ inscribitur, discesseris; apud Poëtam nostrum, quantum memoria adsequi valeamus, nihil occurrit, hocce certandi genus speciatim spectans. At vero, quum de quodam, ejusdem nominis, viro narrat PAUSANIAS *r*), quod in Panegyri Olympica duas, totidemque in Pythiis, Nemæis & Isthmiis Dolichi, seu longissimi stadii cursu adeptus sit palmas, qui quidem non Himeræus, sed e Cnosso Cretensis, unde, seditione orta, expulsus exceperunt Himeræi, quæ fere omnia illis, quæ de suo scribit Heroe PINDARUS, consentiunt; obscurum esse poterit nemini, ἀκλεὴν τιμὰν ποδῶν, ob quam a Poëta laudatur Ergoteles, de genere currendi δολιχῷ intelligendam esse. Quænam justa fuerit spatii Dolichi longitudo, si quæras; difficile erit responsum, quum, illa definienda, in diversum trahant auctores. Scholia si ARISTOPHANIS *s*) sequamur, septem comprehendisse dicamus stadia: δολιχοδρομοὶ δὲ, *inquit*, οἱ ἑπτὰ τρέχοντες, διὸ καὶ δολιχοδρομοί. SVIDA vero faciem præferente *t*), viginti quatuor eidem assignaveris: ἐστὶ δὲ, *inquit*, ὁ δολιχὸς καὶ σαδία. Nec tamen sibi iple constat, quippe quum sub voce διαυλος

H 3

SCHO-

q) l. c. Tom. III. p. 311. *r*) El. p. p. 352. *s*) Ad. av. v. 293. *t*) In voc. δολιχός.



SCHOLIASTÆ ARISTOPHANIS & verba, & sententiam tueatur. HIERON. MERCURIALIS *u)* denique contendit, nullam inter Diauli & Dolichi cursum fuisse differentiam aliam, quam quod illius cursores reflexo, huius vero recto cursu stadium duplex emetirentur: *Itaque, inquit, stadium erat cursus unius tantum stadii, dolichus duplex, uno cursu, stadium, Diaulus, & ipse duplex stadium, sed reflexo cursu.* In re adeo fluctuante certi nihil dicere audemus: veri vero simillimum esse videtur, terminum huiusce spatii, pro locorum varietate, varium fuisse, pro natura certaminum certantiumque, proque ingenio Agonothesiarum diversum. Inde tamen confici nequit, stadium, quippe quod fixæ & demensæ fuisse videtur mensuræ, auctum fuisse inque maiorem longitudinem porrectum dolichodromis, quæ mens est POTTERI *v)*; sed plures potius comprehendisse Diaulos, quos, iteratis cursibus, a carceribus ad metam lustrarunt *δολιχοδρόμοι*.

Laudes Hippocleæ prosequuturus, PINDARUS dicit *x)*, eum nativa & congenita indole patriis insistere vestigiis, qui & ipse, ex sollemnitate Olympica, palmam bis consequutus, excessisset:

- - - τὸ δὲ, *inquit*, συγγενὲς ἐμβέβα -

Κεν ἴχνεσιν πατρὸς

Ὀλυμπιονίκαι,

Δὲς ἐν πολεμαδόκοις Ἀρεὸς ὄπλοις.

Quibus ad morem illum respicit, quo armis instructi decurrere solebant, hoc genus, athletæ, quum alias corpore uncto & nudo, si cingula, *περιζώματα* dicta, & calceos, seu *ἐνδρομίδας* excipias, certamen hocce esset peragendum. Armatum hunc cursum *διαυλοδρόμοις* veluti proprium fuisse videtur ex eo, quod habent ARISTOPHANES ejusque SCHOLIASTES. Etenim incedentibus avibus

u) *Ar. Gymn. l. II. c. X.* *v)* *Arch. Gr. Tom. I. l. II. c. 21. p. 963. ed. J. J. RAMB.* *x)* *Pyth. od. X. ἀντ. α.*



bus cristatis, quærit persona γ): ἀλλὰ μὲν τοι τίς ποθ' ἡ λό-
 φωσις ἐστ' ἡ 'πὶ τῶν ὀρνέων; Ἡ 'πὶ τὸν διάυλον ἦλθον; Quæ
 verba ita explicant Scholia: ἐπεὶ οἱ διαυλοδρομεῦντες μεθ' ὅπλων
 τρέχουσιν, ἔχοντες λόφον ἐπὶ τῆς κεφαλῆς. In laudibus Casto-
 ris & Jolai persequendis occupatus Poëta noster, alio
 loco z), γυμνοῖς σαδίοις opponit ἀσπίδοδέπας, indicans Ca-
 storem & Jolaum, nudos illis, his vero in armis con-
 tendisse ac vicisse. Nec alio nomine Teleficraten χαλκ-
 ἀσπίδα πυθιονίκαν vocari a Poëta credimus a), quam quod
 armato cursu Pythicam meruisset coronam. Quibus etiam
 adsentit SCHOLIASTA: χαλκᾶσπίδα, inquit, φησὶν, ὅτι σὺν
 ἀσπίσι χαλκαῖς, τὸν ὀπλίτην ἔτρεχον δρόμον. Neque dissen-
 tit PAUSANIAS b), qui inter palmas, quas tulisse Mne-
 sibulum narrat, unam ponit, Diauli cursu cum clypeo
 obtentam Olympiade CCXXXV; & de statua, in hono-
 rem Demarati cujusdam Cursoris erecta, & more militum
 ipsius temporis scuto, galea & ocreis armata meminit c):
 πεποιήται ὁ ἀνδριάς, αἰτ', ἀσπίδα τε κατὰ τὰ αὐτὰ ἔχων τοῖς
 ἐφ' ἡμῶν, καὶ κρέανος ἐπὶ τῇ κεφαλῇ, καὶ κνημίδας ἐπὶ τοῖς ποσὶ,
 ipsumque hunc Demaratum, in hoc certaminis genere:
 Olympiade LXV, victoriam adeptum esse narrat, simul
 docens, Eleos, cum ceteris Græcis, posteris dein tempo-
 ribus, hanc abrogasse exercitationem. Ex his PAUSA-
 NIÆ excitatis verbis patere arbitramur, cursorum arma
 galeam fuisse, scutum & ocreas: Nec putare nos finit
 HELIODORUS reliquum corpus fuisse nudum, quippe
 qui cursori Theageni πανοπλίαν tribuit d).

§. XX.

At non suorum tantum pedum pernitate, sed ve-
 locibus etiam equis mulisque, publicis in concionibus, de
 corol-

γ) Av. v. 2. 92.

z) Istb. od. I. 59. β.

a) Pyth.

od. IX. 59. α.

b) Pboc. 678.

c) El. p. p. 362.

d)

Æth. l. IV. p. 161.



corolla, victoribus distribuenda, æmuli erant, quem certandi morem ἵπποδρομίαν nominat PINDARUS e). Quumque pro numero equorum, quibus dimicabatur, iisdemque vel curribus & rhedis junctis, vel dossuariis, varius fuit, singula, uti ansam subministrat Poëta noster, leviter perstringere juvat.

Quum laudes Psaumidis, ob triplicem reportatam victoriam celebrat PINDARUS, dicit f) eum sex duodecim Deorum aras honorasse boum sacrificiis, perque dies quinque agitatis quadrigis, mulari curru & equo celerē, qui uno regitur fræno.

Βωμὸς ἕξ διδυ -
 μος ἐγέρασεν ἑορ -
 ταῖς θεῶν, μεγίσταις
 ὑπὸ βεθυσίαις, ἀέθλων τε περ -
 πταμέροισι ἀμίλλαις,
 ἵπποις, ἡμιόνοις τε, μοναμπυκί -
 α τε.

Quæ ultima Poëtæ verba ita exponit SCHOLIASTES: ἐκόσμησε δὲ τῆς βωμὸς νικήσας ἵπποις, τεθρίππῳ, ἡμιόνοις καὶ κέλητι. Scilicet, quod indiscrete heic ἵππος nominat PINDARUS, id aliis locis, vel τεθρίπποις, vel τετραορίαις, vel denique ἄρματι τετραορῶ exprimit. Sic Theronem prædicandum esse dicit g), τετραορίας ἕνεκα νικαφόρου, & carmen in laudes Herodoti condendum vocat b): ἄρματι τεθρίππῳ γέρας. Quum τέθριππον sit ἐκ τεσσάρων ἵππων ἄρμα, definiente SVIDA i), seu Quadriga, & τετράορον, τετραορία, etiamsi de origine vocum inter se dissideant Ætymologi & discordent, idem significant; haut obscure indicat PINDARUS, Psaumidem quadrigis, seu curru, quem quatuor trahebant equi, victoriam fuisse consequutum

e) *Isth. od. III. ἐπωδ. α.* f) *Ol. od. V. 59.* g) *Ol. od. II. 59. α.* b) *Isth. od. I. ἐπωδ. α.* i) *Voc. ἄρμα.*



tum. Cetera inter exercitationum genera quadrigarum certamen tantum excelluit, quantum, inter reliquas, Olympiæ Celebritates: unde ἵππείων ἀέθλων κορυφαὶν illud adpellat PINDARUS *k*). De usu etiam antiquissimo gloriatur hoc certandi genus, siquidem inter victores primi sollempnis olympici narratur a PINDARO Semus, quatuor equorum certaminis gloriam adeptus *l*):

ἀν' ἵπποισι δὲ, *inquit*, τέτρασιν
ἀπὸ Μαντινέας Σᾶμος αἰεῖδετο.

Ἄρματι seu currui duo plerumque insederunt, ἀναβάτης, seu ipse dominus, & διφρηλάτης, seu auriga: unde ipsum etiam ἄρμα nonnunquam δίφρον, quasi δύο φέρον, & ipsam aurigandi artem & certamen διφρηλασίαν vocat Poëta. At accidit etiam, ut, quemadmodum solus auriga interdum absenti domino sua dexteritate victoriam adquisiverit, ita & Dominus solus currum ageret equosque regeret habenis. Hoc nomine Herodotum encomia cohonestat Poëta *m*) quod suis, non alienis manibus equos guber-
naverit:

Ἄλλ' ἐγὼ, *inquit*, Ἡροδότῳ τέυχων
Τὸ μὲν ἄρματι τεθρίππῳ γέρας,
Ἀνία τ' ἀλλοτρίαις ἔ-
Χερσὶ νωμάσαντ',

Nec laudibus defraudati sunt ipsi aurigæ, quorum circumspeditione gubernandique peritia domini, qui corona cingerentur, digni sunt habiti. Sic Arcesilaum excitat Poëta *n*) ad Carrhotum, currui regundo præfectum ἔξοχ' ἐταίρων suspiciendum amandumque, quod Promethei consilio & prudentia usus, non vero imprudentia Epimethei, qui post factum demum sapuit, ita
I Do-

k) Nem. od. IX. δυνδ. β. *l*) Ol. od. X. 59. δ. *m*)
Isth. od. I. επωδ. α. *n*) Pyth. od. V. επωδ. α.



Domini gubernavisset equos, ut victoriæ præmio fuisset decoratus. Huc etiam spectant, quas Nicomacho, Xenocratis equorum rectori, tribuit laudes o), qui in sacris Athenæis κατὰ καιρὸν, uti res & occasio postulaverit, νᾶμε χεῖρα ἀνίαις, quo Domino nulla de eo querendi esset causâ, quippe qui victoriam adeptus. Si vero salvis habenis illæsoque curru cursum conficerent metamque rotis evitarent fervidis, maximæ illis ducebatur gloriæ. Hinc inter præconia nuperi laudati Carrhoti maximum ponit Poëta p), quod ἀκηράτοις ἀνίαις, nulloque currus instrumento fracto, victoriæ admovisset Dominum: in cuius rei memoriam, Apollini, Pythicorum certaminum, quibus parta hæc fuit gloria, Præsidi dicatus, currus fuit suspensus, qualem ipsi tradidissent, qui illum manibus compegissent fabri. Quum vero, paucis interjectis, dicit, Carrhotum rediisse a Pythicis certaminibus κομίζοντα ὅλον διφρον ἀταρβεῖ φρενὶ; ad id respicere putamus, vel quod imperterrito firmoque animo, cadentibus quadraginta aurigis aliis, duodecies inflexum cursum continuasset, vel quod illis minime motus, quæ equis in Pythicis non minus, quam ceteris sacris Ludis terrorem pavoremque injicere solebant, recta ad victoriam illæso vexisset curru. Nempe narrat PAUSANIAS q) fuisse in equestribus Olympiæ curriculi extremis aram figura rotunda, qua sacrificiis dæmon quidam ab aurigis colebatur, quem Ταράξιππον, ab incutiendo equis terrore nuncupabant. Solebant enim, incertum unde, quave de causâ, circa aram hanc equi tam vehementer consternari, ut, coorta trepidatione, sæpe illis curribus affligerentur aurigæ. Non minimæ igitur Carrhoto ducit laudi Poëta, quod ἀταρβεῖ φρενὶ spretoque omni periculo,

o) Istb. od. II. ἀντ. β.
p. p. 383.

p) Pytb. od. V. 58. β. q) El.



lo, sine noxa & damno, in quadraginta antagonistis solus currum conservasset.

Post ἵπποις partam Psaumidis victoriam, aliam, quam ἡμιόνοις obtinuerat, concelebrat Poëta. Quibus ad sui etiam temporis morem mulis, currui junctis, in certamen descendendi, respicere nos jubet. Hunc mulorum in certaminibus usum alio etiam loco commemorat PINDARUS, dum Camarinam urbem, Psaumidis patriam, ita adfatur r):

ὦ Κεανῆ θυγατερ,
Καρδίᾳ γελανεῖ,
Ἀκαμαντόποδός τε ἀπῆνας δέκευ,
Ψάυμιδός τε δῶρα.

Ubi ἀπῆνην SCHOLIASTES dicit fuisse rhedam, quam traxerunt muli: ἀπῆνη inquit, δὲ ἐστὶν ἄρμα, ἐξ ἡμιόνων ζευχθὲν, additque morem hunc, inventionem Asandrafti, tempore non multo post, Olympiade nempe LXXXIX, obsolevisse: εἰδισμένον δὲ ἵπποις ἀγωνίζεσθαι, Ἀσάνδραστος ἐπετήδευτε καὶ ἡμιόνοις ἀγωνίζεσθαι. Χρόνος δὲ τις ἔμακρος, ἀλλὰ δεκαετὴς τῷτο διέλυσε. Διελύθη γὰρ περὶ τὴν ὀγδοηκοστὴν ἐννάτην Ὀλυμπιάδα. A Scholiis recedit non nihil PAUSANIAS s), quippe qui narrat, τῆς ἀπῆνης usu desuisse Olympiade LXXXIV, quum quatuordecim in Olympica celebritate florisset: τῆς δὲ, inquit, ἀπῆνης καὶ κάλπης τὸν δρόμον, τὸν μὲν Ὀλυμπιάδι νομιζέμεντα ἐβδομηκοστῇ, τὸν δὲ τῆς κάλπης τῇ ἐφεξῆς ταύτης κήρυγμα ὑπὲρ ἀμφοτέρων ἐποιήσαντο ἐπὶ τῆς τετάρτης Ὀλυμπιάδος καὶ ὀγδοηκοστῆς, μήτε κάλπης τῷ λοιπῷ, μήτε ἀπῆνης ἕσεσθαι δρόμον. Olympiorum primordiis non nisi justæ ætatis & roboris in certaminibus usurpati sunt equi mulique ἵπποι τέλειοι, ἡμίονοι τέλειοι & ἄρματα τελεία vocati. Olympiade vero XCIX invaluit

r) Ol. od. V. 59.

s) El. pr. p. 302.



mos, iunctis curru quatuor pullis, certandi, & Olympiade denique CXXVIII pullorum σύνωγῆς, seu *biga*, usu est recepta, uti nos docet PAUSANIAS *t*), qui simul narrat, in illa Sybariadi Lacedæmonio, in hac vero Belistichæ, e Macedonia feminæ, coronam accidisse. Quæ heic de Belisticha & de duabus aliis feminis, Olympicos ludos non frequentantibus solum, sed cum viris etiam de victoria contendentibus eamque illis præripientibus tradit PAUSANIAS, quomodo concilientur, eodem auctore duce, supra a nobis observatis, feminis nempe Olympiis interesse fuisse interdictum, & ne Alpheum quidem fluvium, durante hac celebritate, transire licitum, ni de prærupta petra Τυπᾶο præcípites darentur, ignorare nos fatemur. Fortassis non aliter hæc intelligi debet mulierum victoria, ac Philippi Macedonis, quem narrat PLUTARCHUS, in Potideæ urbis obsidione occupatum, Olympionicen se proclamatum rescivisse: & Theoronis, cui, Theoxenia celebranti, de victoria Olympica nuntium adlatum esse PINDARUS canit *u*). Scilicet, prouti supra verbo indicavimus, usu venire solebat, Regibus certe & Principibus, illisque, quibus in celsiorem dignitatis sedem adscendere contigerat, ut, quum de palma cum aliis conflictare vellent, non ipsi, sed missis cum aurigis equis, in his certaminibus exercitatis, decertarent, atque adeo, sola equorum magistrorum sollertia, laureolam obtinerent.

Tertiam denique victoriam obtinuisse Psaumidem, dicit Poëta noster, μοναμπυκία. Ἀμπυξ proprie usurpatur ad designandum, gemmis aureoque distinctum, capitis ornamentum, quo crines fluxos, jam colligatos, redimire ornareque solebant mulieres. Hoc sensu usurpata legitur

VOX

t) l. c.

u) Ol. od. III. ἀντ. γ. & Inscr.



vox apud Homerum, quum uxorem Hectoris, morte mariti cognita, in terram decidisse animamque exspirasse narrat, longeque a capite fudisse splendida ligamina v):

Τῆλε δ', *inquit*, ἀπὸ κρατὸς χεῖε δέσματα σιγαλόεντα,
Ἄμπυκα, κεκρύφαλον τ', ἠδὲ πλεκτὴν ἀναδέσμην,

Ubi SCHOLIASTES dicit, ἄμπυκα esse κόσμον τινὰ περὶ τὴν κεφαλὴν ἀνέχοντα τὰς τρίχας τῆς κεφαλῆς: quo etiam significatu Lachesis Parcarum unam χρυσάμπυκα vocat PINDARUS x). Deinde per metaphoram funiculum denotat auratum, quo crines in equorum frontibus sparsi colliguntur: unde denique Synedochice frenum, quo equi reguntur, significare solet: hinc χρυσάμπυκας ἵππους apud HOMERUM y), quod per ἵππους χρυσοχαλίνους exponit illius SCHOLIASTA: unde tandem μονάμπυξ est equus uno rectus freno, & μοναμπυκία, equi μονοχαλίνου gubernatio. Hanc obscure itaque indicat PINDARUS, receptum fuisse morem in Olympicis Ludis equis utendi sellariis dorsuariisque, quibus, superata meta, ad corollam adspirarunt illis vestiti: id quod etiam nos docet PAUSANIAS z), moremque hunc in memoriam rediisse Olympiade XXXIII, qua Crauxidas Cranonius hoc cursus genere vicit. Quod μοναμπυκίαν heic vocat PINDARUS, id κέλητα adpellat PAUSANIAS aliique auctores. Est scilicet κέλης, equus sellarius, qui curru non jungitur, sed cui insidet sessor equitans: ἵππος ἄζυξ, καὶ κατὰ μόνους ἐλαυνόμενος ut explicat EUSTATHIUS. Cui adsentit etiam SVIDAS a): Κέλης, *inquit*, ὁ μόνος ἵππος, καὶ ὁ ἐπὶ τέττε φερόμενος. Ita & PINDARI μοναμπυκίαν interpretatur ejus SCHOLIASTES: νοητέον δὲ, *inquit*, ἐνὶ ἵππῳ, τῷ λεγομένῳ κέλητι

v) *Il. XXII. 468.* x) *Ol. od. VII. ἀντ. δ.* y) *Il. V. v. 720.* z) *El. pr. p. 301.* a) *In voc. κελῆς.*



Quod cum Olympiade septuagesima prima initium cepit binis cum equis feminis certamen, κάλπην vocitarunt Græci, quarum altera vehebatur ἀναβάτης, seu eques, alteram vero manu inter equitandum ducebat. Quum vero a meta prope abesset vector, defiliit, prehensoque manu freno, utrique cursus comitem se præbuit. De hoc certandi genere ita scribit PAUSANIAS *b*): Ἦν δὲ (sc. κάλπη) ἡ μὲν Θήλεια ἵππος, καὶ ἀπ' αὐτῶν ἀποπηδῶντες, ἐπὶ τῷ ἐσχάτῳ δρόμῳ συνέθεον οἱ ἀναβάται ταῖς ἵπποις εἰλημένοι τῶν χαλινῶν. Harum usum Olympiade LXXXIV abrogatum fuisse, auctore PAUSANIA, jam indicavimus. POLLUCEM si sequaris ducem, κάλπην dixeris fuisse cum mulis dorfuariis certamen, & id inter ἀπήνην & κάλπην discriminis, ut hæc pugna fuerit, qua mulis infidebant certantes, illa vero, qua curru junctis mulis vehebantur: ἀγὼν δὲ τις, *inquit*, ἡμιόνων ἤγετο πάλαι ἐν Ολυμπία, καὶ τό μιν τῶν νατέων ἡμιόνων ἀγώνισμα ἐκαλεῖτο κάλπη· τὸ δὲ τῶν ζυγέων ἀπήνη. Campum equestribus hisce certaminibus destinatum, ἵππόδρομον Græci vocarunt. Justum curriculi hujus spatium, sive latitudinem, sive longitudinem spectas, monumentorum inopia, definire non audemus. Qui Athenis fuit Hippodromus in longitudinem quatuor stadiorum fuit porrectus, uti auctor nobis est PLUTARCHUS, cujus hæc adfert verba Dom. BARRUS *c*): τὸ δὲ, *inquit*, ἵππικον διάστημα τεσσάρων ἦν σταδίων. Quo fultus testimonio & Grammatici cujusdam manuscripto, hanc fuisse omnium justam Hippodromorum mensuram, adserit modo laudatus Dom. BARRUS *d*). Pro locorum vero natura & indole, variam fuisse horumce spatiorum capacitatem veri videtur simillimum. Nec alio modo de Olympiæ Hippodromo nos instruit PAUSANIAS.

b) *El. pr. p. 302.* *c*) *Hist. de l' Acad. des Inscript.*
Sc. Tom. IX. p. 379. *d*) *l. c.*



SANIAS, quam quod dicat e), duo illum habuisse latera, quorum alterum aliquanto longius excurrisset & exagere constitisset; alterum vero non aggestam fuisse terram, sed collem minime arduum. Quod ad ipsam campi hujus formam adtinet, quadratam fuisse, in longitudinem porrectam, inque ejus medii spatii extremitate metam, positam in parte alterius cujusdam, capacitatis longe minoris, quadratæ figuræ, quæ similitudinem elementi Græci prisci τὸ σίγμα conversi præ se tulit, contendit Dom. BARRUS f), cujus hic adscribimus verba: *C' estoit (forma Hippodromi) un quarré long, à l'extrémité duquel la borne, placée au milieu de la largeur dans une portion d'un quarré beaucoup plus petit, ou si l'on veut, dans un Σίγμα antique renversé, qui la vesserait tellement, que, soit à côté, soit derrière, il n'y pouvoit passer, qu'un seul char de front.* Quam sententiam tuetur testimonio EUSTATHII, qui HOMERI verba: ἐν ζυνοχῆσιν ὁδῷ, in illis adhibita versibus, quibus de meta, Heroibus Græcis ab Achille erecta, Antilochum edocentem Nestora narrat Poëta g), ita explicat: κατὰ δὲ παλαιὸς εἰπεῖν, ζυνοχὴ ἐστὶ τὸ τῶν σταδίων σιγματοειδὲς ὅποιον ἐστὶ μάλιστα τὸ κατὰ τὸν καμπτήρα. Utcumque hæc erunt, id certe extra omne dubium positum, locum hunc sæpissime, & aurigis, & dominis ipsis curribusque periculosissimum fuisse, nec raro ad interitum fatalem. Circa hanc metam cursum pluries flexisse concertantes, ex communi Auctorum sententia constat. At inde tamen non elucescit horum flexuum numerus. Quum PINDARUS b), Theronem fratremque ejus Xenocraten ob victorias, in campis Pythicis Isthmiisque obtentas, laudans dicit:

- - πύ-

e) *El. pr. p. 383.*
v. 326.

f) *l. c. p. 381.*

b) *Ol. od. ll. αντ. γ.*

g) *ll. XXIII.*



- - - - πυθῶνι
 Δ' ὁμόκλαρον ἐς ἀδελφεὸν,
 Ἰσμοῖ τε, κοινὰί χάρι-
 τες ἀνθεα τεθρίππων
 Δωδεκαδρόμων
 Ἄγαγον.

Verba Poëtæ ita exponenda esse contendunt alii, ut dicant, Theronem & Xenocraten, duodecies superata meta, curriculum vicies quaterque confecisse. Cui sententiæ ex duobus aliis Poëtæ nostri locis robur conciliari putant, ut, quum Hippodromi terminum vocat δωδεκάγναμπτον τέρμα δρόμος *i*) & Templum Apollinis δωδεκαδρόμων τέμενος *k*). Nec aliter verba hæc intellexisse invenimus SCHOLIASTEN PINDARI: φασὶ δέ, *inquit*, τινες, ὅτι δώδεκα δρόμος ἀνίει τὸ τέλειον ἄρμα. Τὸ δὲ πωλικόν, ὁκτώ, idque hoc CALLIMACHI versu nixus:

Δωδεκάκισ περὶ δίφρον ἐσήγαγεν ἔθματα δίφρου.

Quumque, ex mente BURETTI, equiriis destinatus campus in duodecim divisus esset partes; per singulas continuarunt cursum, &, quum in fine cujusque illarum iter sinuaretur, flexiones hæc vocarunt καμπτήρας. Quam contra sententiam hoc excipiunt alii, verbum κάμπτειν vel γνάμπτειν non eo usurpari significatu, quo rem *circumire* denotet, sed *flectere* tantum & *incurvare*, atque adeo non duodecies, sed sexies tantummodo, itu sexies, totidemque reditu, metam certaturis superandam. Nec diffitemur, hanc PINDARI explicationem rei naturæ magis videri consentaneam.

i) Ol. od. III. 59. γ.

k) Pyth. od. V. 59. β.

